

*Volkii Compend. Christian. Theol. Lib. I. cap. 3. p. 22. Polani Synt. Theol. Lib. 4. cap. 6. p. 240. Massorij Colleg. de Predest. Diss. 2. pag. 4. b. Ravanello Bibliothec. Sacr. Part. 2. Tit. Voluntas, num. 2. pag. m. 1512, Chamierii Panopliæ. Tom. 3. Lib. 7. cap. 3. n. 10. & cap. 6. n. 3. ubi voluntatem signi seu revelatam, nominat *Evangelicam*, & beneplaciti seu arcanam, *Zudoxias*. Sibelij Meditat. Catechet. part. 2. p. 341.*

II. Nec plane abhorret ab hac distinctione, Schola ac Ecclesia Lutherana; Sic enim *Doct. Balt. Meisnerus in Ansbrop. S. dei ad. 2. diss. 32. qv. 1. §. 16. Distinctione hac utuntur cum Nostri cum Calviniani*. Haud omninò distinctionem hanc rejiciendam esse, fatetur *Hutterus in Explicat. Libri Christiana Concordia Artic. XI. de Elect. sive Predestin. pag. m. 1064*. Similiter *Jac. Renecius in Panoplia s. Armatura Theologica Tom. 3. Cap. 3. pag. 3. col. 1. Laudabilis Vetustas unam DEI Voluntatem nominat jam absconditam sive occultam, jam verò apertam sive revelatam*. Et *D. Micralius in Tractatu de Predestinatione Lib. 1. Cap. 8. ab. 3. sic ait. Distinctio Voluntatis Dei in arcanam & in revelatam in se non est improba, si rectè intellecta, secundum diversa vel tempora vel objecta, distinctè adhibetur*. Hinc & magnus noster *Calovius in doctrina de Voluntate DEI ejusque distinctionibus, primam hanc facit: Voluntas DEI est vel arcana vel revelata. Illa in DEO abscondita & imperforabilis: Hac à DEO patefacta per verbum, sed infallibilis. Vid. System. Tom. II. Cap. 9. pag. 442.*

III. Vox autem licet eadem & in Ecclesia vera & infalsa, nullatenus tamen mens eadem est. Lutherana nostra per *Voluntatem absconditam* intelligit, interdum *Mysterium Evangelii ante universalem predicationem*; quippe quod vocatur *Mysterium æternis temporibus* *συστημένον* Rom. XVI. 25. à seculis & generationibus *δοκρυμμένον* Col. I. 26. conf. Eph. I. 9. III. 9. & sic quoque omnia Dei consilia, quatenus in ipsa Dei mente sunt, quæ nemo rimatur nisi ipse Spiritus Dei, quemadmodum scriptum est, 1. Cor. II. 11. quæ eadem voluntas revelata dicitur, quatenus illa in scripturis S. declaratur, unde nos tanquam ex speculo, quod intuemur, eam discimus. Quo sensu aliàs etiam voluntas signi & beneplaciti apud orthodoxos distinguitur, tanquam ejusdem voluntatis diversa in Deo & in verbo ejus consideratio. Interdum etiam per voluntatem absconditam intelligimus particularia ejusdem Dei *judicia,*
sive